



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Confirmatio Alberti Ducis Austriae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

Confirmatio Rudolphi Cæs. I.

RUDOLFVS Dei gratia Romanorum Rex Augustus, Illustri Comiti *Alberto* primogenito suo, vel alij, quicumque Princeps seu Vicarius terræ Austriæ pro tempore fuerit, gratiam suam & omne bonum. Ad hoc eminenti dignitatis specula nos locauit altissimus, quod licet vniuersorum fidelium nostrorum commoditatibus debeamus intendere, personas tamen religiosas in suis tenemur libertatibus & gratiis specialiter confouere. Sane cum Illustris quondam Dux Austriæ *Leopoldus* religiosus viris fratribus de *Alderspach* hanc gratiam duxerit faciendam, quod iidem fratres bona sua quæ ipsis de prædio, quod habent in Austria, poterunt prouenire in vino, frumento & alio emolimento quocunq; deducant liberè sine muta. Et nihilominus si quid eis ad opus prædicti prædij necessarium fuerit, sub eadem conditione sine qualibet contradictione reducant, prout in ipsorum Priuilegio plane vidimus contineri: Nos eosdem Fratres in concessis sibi libertatibus & iuribus conseruari volentes fidelitati tuæ mandamus, quatenus eisdem fratribus gratiam libertatis huiusmodi à Mutariis omnibus, & quibuscunq; aliis illibaram & inconuulsam per omnia facias obseruari. Datum *Ratisbonæ*, II. Idus Inniij. Indictione IX. Anno Domini M. CCLXXXI. Regni vero nostri Anno octauo.

Confirmatio Alberti Ducis Austriæ.

ALBERTVS Dei gratia Dux Austriæ & Sciriæ, Dominus Carniolæ & Marchio Portus Naonis. Vniuersis suis fidelibus gratiam suam & omne bonum. Deuotorum & Religiosorum virorum, videlicet Abbatis & Conuentus monasterij in *Alderspach* cupientes prouectum & commodum ampliare, ipsosque specialiter in suis libertatibus & gratiis confouere, id instar Illustrium quondam *Liupoldi* & *Friederici* Ducum Austriæ, nec non Serenissimi Domini & genitoris nostri karissimi Domini *Rudolphi* Romanorum Regis inuictissimi, fauorabiliter admittimus, concedimus, & indulgemus: Quod iidem fratres bona sua, quæ ipsis de prædio quod habent in *Austria*, poterunt euenire in vino, vel frumento, & alio emolimento, quocunq; deducant liberè, sine muta. Et nihilominus si quid eis ad opus prædicti prædij necessarium fuerit, sub eadem conditione sine qualibet contradictione reducant. Propter quod vniuersis vobis & singulis iniungimus firmiter & mandamus, ne quis vestrum dictos fratres in gratia libertatis huiusmodi præsumat aliquatenus impedire, vel ausu temerario prægrauare. Præsentium testimonio literarum nostri sigilli munimine munitarum. Datum *Vienna*, II. Non. Decemb. Anno Domini MCC. octogesimo quarto.

Priuilegium Domini Rudgeri Episcopi super libertate
mutæ in Parauia.

Rudgerus Dei gratia *Pataviensis* Episcopus in perpetuum. Tenore præsentium innotescat tam præsentibus quam futuris, quod nos dilectis in Christo fratribus Abbati & Conuentui in *Alderspach* indulgemus, vt naues ipsorum victualia deportantes liberè transire valeant *Patavia* sine muta, quibuscunq; rectoribus vel ductoribus existentibus in nauibus memoratis. Et ne super tali jure calumpnia in posterum ipsis debeant suboriri, præsentem paginam, sigilli nostri appensione & testium subscriptione ipsis dedimus roboratâ. Testes sunt hij. Cunradus Decanus. Cunradus maior plebanus. Meingorus de Saldegk. Vlricus de Memingē